



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Rex Francorum superiorem non agnoscit in temporalibus, nec ipsam sedem apostolicam, ex Innocentio III. Species Decretalis Per venerabilem. Spontanea Regis natalibus restitueret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

liis observanda sunt; Regibus nostris ecclesiastica potestatis præcepta in regni administratione non admittentibus. Cujus auctoritatis retinentissimum se præbuit Carolus Calvus, qui Reges Francorum ex regno genere natos, non Episcoporum Vice dominos, sed terrarum Dominos, non Villicos & actores Episcoporum, sed veros Reges esse Hadriano II. graviter cum illo expostulans denuntiavit. Et Procures regni, ab antecessoribus Hadriani ecclesiasticum ordinem, quod suum est, non Rempubicam, quod Regum est, dispositam fuisse, Pontificiis mandatis refragantes dicebant apud Hincmarum. Hæc Gallorum sententia manavit in posteros, ut docet auctor disputationis Clerici & Militis, his verbis: Clericus. *Ius voco Decreta & statuta Romanorum Pontificum. Miles. Quæ illi statuunt, vobis jura esse possunt, nobis verò non sunt. Nullus enim potest de iis statuere super quæ constat ipsum dominum non habere. Sicut nec Rex Francorum potest statuere super Imperium, nec Imperator super Regnum Franciæ. Et quemadmodum terreni Principes non possunt aliquid statuere de vestris spiritualibus, super quæ non acceperant potestatem; sic nec vos de temporalibus, super quæ non habetis auctoritatem. Quæ de re uberius dicemus libro quarto.*

Carol. in epist. ad Had. apud Hincmar. de qua libro 4. c. 12. §. 5.

Disputatio Clerici & Militis.

CAPVT III.

Synopsis.

I. Rex Francorum superiorem non agnoscit in temporalibus, nec ipsam sedem apostolicam, ex Innocentio III. Species Decretalis Per venerabilem. Spontanea Regis subiectio ius tribuit Innocentio, ut liberos Philippi Regis natalibus restitueret.

II. Quid sit liberior jurisdictio in dicta Decretali. Explicatur jus seculare, quod Regi & Summo Pontifici in Magalonensem Ecclesiam competeat. Quæ regum liberalitate ditata, & specialiter urbe Montispeffuli. Hominium ratione illius urbis præstitum Regi ab Episcopo. Et ipsi Episcopo à Dominis Montispeffuli.

III. De Comitibus Melgorij, qui beneficiario jure à sede apostolica Comitatum possidere professi sunt. Virile dominium Comitatus pervenit ad Ecclesiam Romanam, damnato Raimundo Comite Tolosano. Quæ jus suum in Ecclesiam Magalonensem transcripsit, servata pensione annua. B. Ludovicus supremum imperium illius Comitatus ad se revocavit.

IV. Testum loquendi genus Innocentij examinatur, cum agitur de feudo Montispeffuli. Supremum jus in id sibi competere putabat. Regem tamen in possessione hominij esse sciebat.

V. In rebus ambiguis temporali jurisdictione uti Pontificem, ex Innocentio. Ejus sententia expensa, & locus Deuteronomij explicatus. Detorius Innocentius in alium sensum ab interpretibus. Eorum interpretatio recepta non fuit in Gallia.

VI. Quæstio feudi non competit Ecclesie, ex Innocentio. Qui tamen cognitionem peccati ad se pertinere ait. Hæc sententia fora confundit, & in Gallia recepta non fuit.

VII. Ex opinione Theologorum, qui criminum secularium coercionem per censuras ab Ecclesia removebant, sola criminum ecclesiasticorum cognitione Episcopis relicta. Hæc sententia inducta in forum, porrecta deinde ad crimen mixtum adulterij; cujus animadversio in laicos vetita olim Episcopis à Curia Parisiensi. Ex veteri Ecclesie disciplina, quatenus Episcopis criminum cognitio competeret. Quod penè notum anonymo auctori anno 1303.

VIII. Bonifacij constitutio de Pontificis in temporalia potestate, à Clemente rescissa, quod attingit ad Gallos.

I. **G**ALLICI Imperij Libertatem Romanam Pontifices ingenuè & apertè professi sunt decretalibus epistolis quas in corpore Iuris Canonici compingij voluerunt. Etenim Innocentius III. de regno Francorum loquens, Superiorem in temporalibus minimè recognoscere docuit; relatione habita non solum ad quemcunque alium Principem secularem, sed etiam ad ipsam sedem apostolicam. Enimvero quia frequentissimè in hujusmodi disceptationibus laudari solet Constitutio illa, operæ pretium mihi visum fuit ejus speciem & explicationem aggredi. Vuillelmus Dominus Montispeffulani, expulsa Mathilde uxore, Manuelis Imperatoris Constantinopolitani nepte, ex Agnete pellice liberos susceperat, quos natalibus restitui contendebat ab Innocentio. A quo hujus beneficii arbitrium pendere ex eo probabat, quòd sedi apostolicæ liberum esset filiis naturalibus, etiam adulterinis, veniam natalium ad res spirituales & episcopatus adipiscendos indulgere. quæ indulgentia potiori jure ad res temporales trahi debebat. Hanc rationem juvabat exemplum Philippi Francorum Regis: cujus liberos natalibus restituerat Innocentius, et si apostolicæ sedi Rex ille quoad spiritualia tantum subesset; Guillelmus verò non tantum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia, Romanæ Ecclesiæ subiceretur. Hoc membrum, quod suis difficultatibus implicitum est, sic probat. Suorum bonorum partem hominij nexu ab Ecclesia Magalonensi pendere ait; eam verò Ecclesiam jure feudi à sede apostolica bona à Guillelmo possessa obtinere, unde sequatur Vuillelmum Ecclesiæ Romanæ secundo feudi gradu subiecti; *vassum* esse Ecclesiæ Magalonensis, & Romanæ *vassallum*, si libeat Capitularium verba usurpare. Respondet Innocentius, multum distare causam Philippi Regis à Vuillelmi negotio, & in personis majus esse discrimen. Philippum Augustum

Cep. Per Venerabilem. Quæ illi sunt legi. c. 12. §. Regis. Innoc. III. epist. 104.

En Flis de Regis de Magalon, p. 104. Rescript de la Roman.

Vide Hincmar. de qua libro 4. c. 12. §. 5.

dimisisse quidem Ingeburgem Danorum Regis filiam, sed nuptias cum ea initas, pre-textu affinitatis ab Archiepiscopo Remensi sedis apostolicæ Legato dissolutas fuisse, statimque Regem publicè duxisse Mariam Ducis Merantæ seu mavis Moraviæ filiam, è qua liberos suscepit. Rescissam quidem fuisse à sede apostolica Remensis Archiepiscopi sententiam, quia prolata fuerat ordine judiciorum non servato, adactumque regem ut Ingeburgem ad se revocaret; sed tamen post restitutionem uxoris, permissum illi fuisse ut coram iudicibus datis priorum nuptiarum inutilitatem ex affinitate Ingeburgis petitam prosequeretur. Itaque dubium esse liberorum è Maria prognatorum statum & conditionem, quæ ex eventu litis pendeat. Quæ omnia à causa Vuillelmi ab-sunt, qui nullum nuptiarum cum priore uxore impedimentum præterendat, quique suo arbitrato eam domo expulerit, aliamque superduxerit. Hæc pertinent ad causarum differentiam. Quod personas respicit, ita se habet. Regis Francorum majestatem expendit Innocentius: qui cum à nemine in temporalibus pendeat, potuit se jurisdictioni Romani Pontificis sine ulius offensione subicere; quemadmodum ad impetrandam restitutionem natalium pro liberis se utrique subiecit. Quamvis, ut fateretur Innocentius, ex plurimorum sententia potuisset Philippus veniam natalium liberis suis, non quidem jure patriæ potestatis, sed jure regio tribuere. Vuillelmum verò ab aliis pendere, quibus injuria fieret, si absque eorum consensu Innocentio se subjeceret; nec Vuillelmo comperere jus natalium vitium remittendi. Quare non admittendam esse illius petitionem concludit, donec & culpa levior, & jurisdictio levior ostendatur. Vnde patet nihil sibi in temporalibus regni vindicaturum Innocentium, si prorogatio jurisdictionis seu potius spontanea Philippi Regis subiectio abesset. *Insuper, inquit, cum Rex ipse superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine juris alterius lesione in eo se jurisdictioni nostræ subicere potuit & subiecit.*

II. Quinimo à venia natalium Guillelmo concedenda Innocentius cessat, donec liberiori jurisdictione fruatur, id est, donec Regis assensus hoc patiat. Eum enim esse verborum illorum sensum mox patebit, cum jus seculare, quod Ecclesiæ Romanæ in Magalonensem competeat, explicuero. Narbonensi provinciâ in novem episcopatus totidemque Comitatus à Gothis post deletum à Clodoveo regnum Tolosanum distributâ, eadem dispositio

sub Francorum Regibus viguit, qui Septimaniam à Sarracenis vi armorum receperant. Pietas verò Regum cladem & vastationem Ecclesiis à perfida gente illatam refarcire cupientium, plurimis patrimonij publici juribus, quos *Fiscos* ea tempestate vocabant, episcopales reditus auxit, hinc Comitatus Narbonensis partem Ecclesiæ ejusdem civitatis, hinc Mimateni solidum ferè Comitatum Gabalitanum, aliisque, prout res ferebat, tribuendo. Hujus beneficij particeps fuit episcopatus Magalonen-sis, quem villis quamplurimis Reges nostri liberaliter ditaverunt; ea lege, quæ his concessionibus innata erat, ut Episcopus hominio, sacramento, & obsequio per Reges ea patrimonialia obtineret. Reliquos Comitatus Magalonen-sis, inclinante secunda Regum nostrorum dynastia, eodem fato quo ceteri Galliarum Comitatus hereditario jure Comitibus cecit: qui, ne aliqua injuria Ecclesiæ Magalonen-si fieret, Comitum Melgorensium nomen, non autem Magalonen-sium, sumserunt. Inter cetera verò patrimonialia quæ donatione Regum in Episcopos Magalonen-ses translata sunt, vicus Montispessuli recensetur in privilegio Ludovici VII. quo villarum à Regibus concessarum possessionem Ecclesiæ illi confirmat. quod transcriptum est in altero privilegio à Philippo Augusto indulto anno MCCVII. Hæc sunt autem rescripti verba: *Montispessulum cum omnibus adjacentiis suis, Feudum Domini Montispessuli, Montempessulum utique cum parochia sua, & Castrum de Palude cum toto territorio suo.* Quare in tabulis hominij quod Petrus Episcopus Magalonen-sis juxta morem decessorum suorum præstitit anno MCLV. Antonino Militi Seneschallo Bellicadri & Nemausi & Guidoni Fulcodij à Ludovico IX. Rege Francorum delegatis, difertis verbis expressum est Montispessuli Feudum, cum distinctione quæ rem totam explicat: *Partem ville quæ dicitur Montspessulanctus, cum pertinentiis intra & extra muros, quam tenemus in dominio & ad manum nostram à Domino Rege, & residuum dictæ ville, & Castrum de Palude, quod vulgò dicitur Latas, quod tenet à nobis in feudum vir illustris Rex Aragonum, Dominus Montispessuli, & antecessores ejus à nostris antecessoribus.* Tunc scilicet Iacobus Rex Aragonum hereditate Mariæ matris ad se transmissam proprietatem illius urbis obtinebat; cujus causâ fidem & hominum præstiterat Joanni de Montelauro Episcopo Magalonen-si anno MCCXXXVI.

III. Quod attinet ad Comites Melgorenses, observandum est Comitatum duplici

H ij

Causa Innoc. III. regarda in Phil.ippo.

Vide lib. VIII. cap. XIX. §. 21.

In veteri Regesto Curie Franciæ MS. quod erat Parisiæ in Camera Computorum

Guido Fulcodij, postea Clemens IV.

In eodem Regesto Curie.

Hist. Bencarni l. 8. c. 3.

Vide Hist. Benicarni l. 8. c. 1. & ubi hæc divi-sio explicatur.